



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvartum

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput X. Idem (a) Archiepiscopo Strigoniensi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74533](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74533)



## CAPUT IX.

Idem (a) *Episcopo Galburgensi.*

Veniens ad Ap. Sed. C. laicus lator presentium, humili nobis confessione monstravit, quod cum olim tempore infantiae suae, de consilio amicorum quandam puellam se ducturum juraverit in uxorem, quam citò ad legitimum pervenisset aetatem, pater puellae consideratione huiusmodi fidei iuramentum, obligatione hinc inde firmatâ, eum in propria domo recepit, eum simul nutriens cum puella. Deinde verò ex conversatione diutina, totius domus familiaritatem adeptus, forori puellae, cui se juraverat fore maritum, instigatus generis seductoris humani carnaliter se conjunxit. Adveniente autem aetate, qua quod juraverat, poterat implere, amici sui ejus excessus ignari, pro adimplendo matrimonio insisterunt; qui conscius eorum, quae fecerat, quibusdam ex ipsis, quod cum forore puellae commiserat, enarravit; sed illis nequaquam credentibus verbis ejus, & graviter increpantibus eum, ille illorum victus consilio, quam juraverat, in uxorem accipit, & nuptiis celebratis, quando se illi opportunitas ingerebat, (b) cognoscebat utramque. Verum licet ipse in praesentia tua super hoc fuerit accusatus, convinci tamen non potuit, nec voluit suum confiteri delictum: nunc autem reversus ad cor, poenitens de commissis, salutis suae consilium requirit impendi, ne tanquam equus, & mulus, quibus non est intellectus, errare in animae suae periculum videatur. Cum igitur non tantum à malo, sed etiam ab omni specie mali praecipiat Apostolus abstinere, f. t. per A. f. m. quat. praedicto C. pro huiusmodi excessu injunctâ ei poenitentia competenti, consulas ei, monens illum salubriter, & inducens, ut de cætero abstineat ab utraque.

## NOTÆ.

1. (a) *Galburgensi.* ] Ita etiam legitur in tertia collectione, sub hoc titulo, cap. 4. sed rectius in hac sexta compilatione legitur, *Magdeburg.* cum nulla sit Ecclesia Metropolit. Galburgensis; Magdeburgensis verò sit in Germania, ut probavi in cap. 22. de rescriptis.
2. (b) *Cognoscebat utramque.* ] Grave scelus, quod in lege veteri detestatur his verbis Deus *Deuteronom.* cap. 27. *Maledictus qui concubuerit cum sorore uxoris sue. Et dixit omnis populus, fiat, fiat.* Et cap. 18. *Levitic.* cavetur, ne quis viva uxore fororem ejus ducat. Idem flagitium abhorrecunt Gentiles, ut constat ex *Horatio*, ubi dum

refert congressus Therei Regis Thraciae cum forore uxoris, ait:

*Eternum opprobrium, quod male barbaras Regum est, utrum libidines.*

Et in eos qui simili forde se polluerunt, ita sanxerunt PP. Concilii Tribur. in can. 45. *Simili modo secundum sanctos Canones definimus, & judicamus de eo, qui cum duabus fororibus fuerit pollutus, ut usque in exitum vite poenitens, & continens permaneat: soror autem, qua posterior libidinis perforata aculeis, scienter se cum eodem commaculaverit, usque in finem vite poenitens, & continens perduret. Si autem improvise contigit, condignâ stringatur castigatione, & si velit, legitimâ utatur viri conjunctione.*

## CAPUT X.

Idem (a) *Archiepiscopo Strigoniensi.*

Tuae fraternitatis devotio postulavit, utrum is, qui cum sorore legitimae conjugis fornicatur, cum uxore possit postmodum commorari, & exigere debitum ac solvere requisitus. Nos igitur respondemus, quod uxor & à commixtione viri abstinere, propter publicam honestatem; & ut in continentia maneat, donec vir viam universae carnis ingressus fuerit, diligentius est monenda. Quod si fortè commonitioni parere recusans, talis fuerit, ut de lapsu timeatur ipsius, vir ejus poterit, & debebit cum Dei timore debitum ei solvere conjugale, cum affinitas post matrimonium iniquè contracta, illi nocere non debeat, quae iniquitatis particeps non existit.

## NOTÆ.

1. (a) *Strigoniensi.* ] In tertia collectione, sub tit. de consangu. & affini. c. 3. reperitur textus hic, &

legitur *Briensi*, sed malè, cum in tota geographia sacra Caroli à sancto Paulo non reperitur similis Ecclesia; extat tamen Strigoniensis, de qua nonnulla adduxi in cap. final. de postul. Pralar.

CAPUT.